



Disputatio juridica inauguralis de tutelis

<https://hdl.handle.net/1874/345790>

49.


DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
TUTELIS,
Q U A M,
FAVENTE DEO OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON
*Amplissimi Senatûs Academiçi consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,
Eruditorum Examine subjiçit


NICOLAUS ARCKENBOUT, Roterod. Batav.
A. D. I. MARTII, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc xciv.

DEO:
SENATUI
ACADEMICO
ET
AMICIS.



Hanc inauguralem Disputationem

Offert & inscribit

NICOLAUS ARCKENBOUT.

Auct. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

TUTELIS.

THESIS I.



Utela ita dicta est à *tuendo*, unde & ipsi tutores nomen habent, quasi *tutores* seu defensores, sicuti *æditui* dicuntur qui *ædes* tuentur. *l. 1. §. 1. ff. h. tit. l. 2. Inst. eod.*

II.

Tutela (ut Servius definiivit) est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum qui per ætatem se defendere nequit jure civili data ac permiffa. *§. Inst. h. tit. l. 1. ff. eod.*

A 2

III. Vis

III.

Vis ac potestas. Hæ voces Synonymæ sunt ut in *l. 17. de legibus*, nec violentiam aliquam denotant, omnis enim vis illicita legibus est prohibita, sed significant facultatem administrationis & potestatem pro auctoritate aliquid statuendi in personâ vel rebus pupilli.

IV.

In capite libero. Caput liberum synecdochicè ponitur pro homine libero, seu persona sui juris *l. 239. ff. de verb. sign.* Hæc verba licet præcipue ad pupillum referri debeant, tamen nihil obstat quominus etiam de tutore explicari possint. Pupillus debet esse persona libera, si enim dominicæ vel patriæ potestati subjectus sit tunc tutoribus non indiget. Tutor etiam debet esse persona libera, quia tutela est juris civilis, uti patet ex verbis finalibus definitionis.

V.

Ad tuendum eum. Vocabulum hoc masculinum etiam ad fœminas extendi debet *arg. l. 1. ff. de verb. signifi.* præterea dicitur *eum*, quia principaliter datur ad tuendam personam pupilli. Tutor non rei vel causæ, sed præcipue personæ moribusque pupilli præponitur *l. 12. l. 14. ff. testam. tutel.* & sic præcipue

pue differt a curatore qui datur rebus minoris, non personæ §. 4. *Inst. qui testam. dar. tutor. §. 2. Inst. de Curat.*

V I.

Qui per ætatem se defendere nequit, hoc est, propter ætatis imbecillitatem, quæ in masculis est usque ad annum decimum quartum, fœminis usque ad annum duodecimum *pr. Inst. quib. mod. tutel. finit.* dicitur denique *jure civili data ac permessa*, quæ verba referenda sunt ad formam & effectum tutelæ, nam si originem tutelæ spectes, juri naturali conveniens est impuberes in tutela esse §. 6. *Inst. de Attil. tutor.*

V I I.

Tutela est triplex, Testamentaria, Legitima, & Dativa *l. 52. C. de Episc. & Cleric.* Primo loco venit tutela Testamentaria, quia quamdiu tutor ex testamento speratur, aliis tutoribus locus non est *l. 11. ff. de testam. tutel.* ad exemplum hereditatis, quæ ab intestato non defertur, quando testamentariæ successioni locus esse potest. *l. 89. ff. de R. Jur.*

V I I I.

Tutela testamentaria est quam pater vel avus paternus
liberis

6 DISPUTATIO JURIDICA

liberis suis impuberibus, post mortem in alterius potestatem non recasuris, tutores dat testamento vel Codicillis testamento confirmatis §. 3. *Inst. h. tit. l. 3.*
 & l. ult. ff. de testam. tutel. l. 73. ff. de Reg. Juris.

I X.
 Quod ad patrem vel avum paternum attinet, nihil interest an liberi sint instituti an exheredati, pater enim non tantum liberis institutis, sed etiam exheredatis tutorem dare potest l. 4. ff. de testam. tutel. l. 10. §. 2. in fin. l. 31. ff. eod. quia facultas dandi tutores non ex vi institutionis sed ex vi patriæ potestatis substantiam capit arg. §. 4. *Inst. de pup. l. 10. §. 5. ff. eod.*

X.
 Secus obtinet in matre, quæ cum liberos in potestate non habet §. 10. *Inst. de Adopt.* etiam non potest liberis dare tutorem, nisi eos heredes instituerit. d. l. 4. ff. de testam. tutel. quo casu tamen insuper requiritur ut iste tutor a Magistratu cum inquisitione confirmetur d. l. 4. & l. 3. ff. de confirm. tutor.

XI. Quid

X I.

Quid si pater minus recte tutorem dederit, veluti filio emancipato? tunc etiam quidem opus est confirmatione magistratus, sed illa confirmatio fit sine inquisitione §. *fin. Inst. de tutel. l. 3. §. 2. ff. de confirm. tut.* quia pater ipse optime liberis prospexisse intelligitur.

X I I.

Pater in testamento tutorem dare potest, non tantum liberis primi gradus, sed etiam in secundo & ulterioribus gradibus existentibus, modo post mortem in alterius potestatem non sint recasuri §. 3. *Inst. de tutel. nec tantum liberis jam natis sed & posthumis tutorem dare potest §. 4. Inst. eod.* posthumus enim habetur pro jam nato quoties agitur de ejus commodo *l. 7. ff. de statu hom.*

X I I I.

Testamento tutor dari potest non solum paterfamilias, sed etiam filiusfamilias *pr. inst. qui testam. dar. tutor.* nam in publicis causis filius pro paterfamilias habetur *l. 9. ff. de his quæ sunt sui vel ak.jur.* etiam minor & furiosus tutor testamento dari potest, hi tamen non statim ad administrationem admittuntur,

8 DISPUTATIO JURIDICA

tur, sed tunc demum si minor factus sit major viginti quinque annis & furiosus ad sanam mentem redierit. §. 2. *Inst. eod.*

XIV.

Speciale etiam est in testamentaria tutela, qua tutor in testamento dari potest, vel pure vel sub conditione, ex certo tempore vel ad certum tempus, ante vel post heredis institutionem §. 3. *Inst. eod. l. 1. pr. ff. de testam. tutela.*

XV.

Legitima tutela est quæ deficiente testamentaria defertur a lege. Hæc antiquitus quadruplex erat; Agnatorum, Patronorum, Parentum & Fiduciaria. *tit. 15. Inst. & seqq. lib. 1.*

XVI.

Tutela legitima Agnatorum est quæ ex lege duodecim Tabularum ob successionis emolumentum defertur proximis agnatis, *tot. tit. Inst. de legit. Agn. tutel.* quod summa providentia constitutum esse docet Ulpian. *in l. 1. ff. de legit. tutor*, ut qui sperarent successionem iidem tuerentur bona ne dilapidarentur: idque etiam naturali rationi conveniens est, ut quem sequuntur commoda eum etiam incommoda sequi debeant, *l. 10. ff. de R. Jur.*

Quemadmodum legitima agnatorum tutela spectat agnatos, ita patronorum tutela est quæ etiam ob successioneis emolumentum defertur patronis eorumque liberis in liberos impuberes manumissos. *tit. inst. de legit. patron. tutela. l. 3. pr. & §. 6. ff. de legit. tut.* similiter Parentum tutela est quæ parentibus in liberos impuberes emancipatos competit *tit. Inst. de legit. parent. tutel.* fiduciaria tutela est quæ defertur patri vel fratribus aliisque in potestate avi vel patris retentis in liberos & fratres ante pubertatem emancipatos, quorum tutelam pater vel avus usque ad mortem gesserant *tit. Inst. de fiduc. tutel.*

XVIIII

Jure novissimo per *Nov. 118, cap. 4. § 5.* omnis differentia quo ad successioneis, & per consequens quoad tutelam inter Agnatos & Cognatos est sublata, adeoque jam agnatis & cognatis promiscue defertur tutela, secundum gradus prerogativam, ita ut proximiores remotiores excludant tam in successione quam in tutela. *d. cap. 4. § 5.*

XXI

Illud quod dictum est non debet extendi ad foeminas, nam illæ sicut ab omnibus virilibus officiis removen-
Hinc
B
ventur

ventur *l. 2. ff. de R. Jur.* ita etiam ad tutelam adspirare non possunt *l. 16. § l. ult. ff. de tutelis.* Excipiuntur tamen jure Nov. Mater & Avia, quæ si velint (nam invitæ non coguntur *l. 2. § l. fin. Cod. quando mul. tut.*) suscipere possunt, ad tutelam legitimam liberorum admittuntur, modo renunciaverint secundis nuptiis & Senatusconsulto Vellejano *Auth. Matri Cod. quand. mul.*

X X.

Succedit tutela dativa, quæ etiam *Honoraria* dicitur, quia datur ab illis qui honores gerunt: vocatur etiam *Attiliana*, quia antiquitus tutela ex lege Attilia fuit delata, *pr. inst. d. Attil. tutel.* Tutela autem dativa est quæ deficiente testamentaria & legitima tutela defertur ab illis magistratibus quibus hoc specialiter concessum erat.

X X I.

Dicitur ab illis, quibus hoc specialiter concessum erat, quia tutoris datio non est jurisdictionis ordinariæ sed legitimæ, nam hoc est quod Ictus dicit in *l. 6. §. 2. ff. de tutelis* tutelæ datio neque imperiæ est neque jurisdictionis sed ei soli competit, cui nominatim hoc dedit vel Lex vel Senatusconsultum vel Princeps.

Huic

XXII.

Huic tutelæ locus est, vel quando omnino tutor non existit, vel existit quidem, sed administrare non potest, forte quia dies vel conditio dationi adjecta nondum existit, vel quia hereditas nondum adita est, vel quia tutor captus est ab hostibus *pr.*
 §. 1. §. 2. *Inst. d. Attil. tutel.*

IV.

COROLLARIA.

I.

Mulier non potest esse tutrix.

II.

Venditor non potest precise cogi ad tradendum.

III.

Minor 25. annis potest esse procurator.

Nup-

X I X

Nuptias non concubitus sed consensus fa-

cit.
Hinc inter locus est, vel quando omnino tutor non existit, vel existit, vel existit, sed admittitur. La incitab omnia vel conditio dationi ad non potest, fore que vel conditio dationi ad. Secti nonnulli existit, V. que heredes nonnulli aditit est, vel que tutor caput est ad hostibus p.

Princeps est legibus solutus.

V I

Nuptia sine consensu parentum contracta sunt ipso jure nullae.



X I I

Minor et. annis potest esse procurator.

Imp-